UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

S. Eucherius Ep. 20. Feb.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

Visual Library

campanum Neti & Hyblæ. utraque civi-
tas cùm ſibi corpus vindicaret, Hyblen-
ſes neque movere, Netini facili negotio
loculum auferre potuerunt, puro quod
propior Netinis jam aſſueverat cum illis
habitare. *Ex Ferrar.*

Cum ſpes miſericordiæ eſt, cum tempus eſt veniæ, confiteamur patri, ne Judicem ſentiamus: prodamus quæ fecimus pietati, ne ſeveritati cogamur exolvere, quæ ta ſcimus; dicamus indulgentiæ tempore delicta noſtra, ne ad excipiendam ſententiam defleamus: S. Pet. Chryſ. ſerm. 42.

S. EUCHERIUS EP. 20. *Feb.*

EUCHERIO naſcituro infulam Aurelianenſem Angelus promiſit; dedit deinde hanc Carolus Martellus; ſed idem, cùm aures calumniatoribus præberet, peſſimo conſilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantem, quâ in parte exilii potiſſimùm viveret, cùm exilium eſſe totum orbem non malè jam tunc crediſſet, cùm Monachum priùs quàm Epiſcopum induit. At verò gravius jam erit Carolo cælo exulare. Certè EUCHERIUS dum inter preces inferorum ergaſtula contemplatus eſt, vidit hunc ipſum Carolum non jam purpurâ, ſed ignibus ardere, didicitque ob manus ſacris injectas ſpoliiſque pauperum ditatos milites (time ætas noſtra)

pore quoque jam pœnas dare. Atque EUCHERIO ſi fidem non dedit Gallia, certè tumulo potuit dare, qui apertus præter ignium veſtigia vacuæque tumbæ cuſtodem draconem, nihil oſtendit. Itaque, qui exulare virtutem regno juſſerat, tumulo etiam exul fuit, cùm interim EUCHERIUS cælo receptus rideat illos, qui patriam in terris quærunt, neque vacuum Gallis tumulum oſtendat, quando in illo cæci oculos ſuos, claudi pedes, miſeri paſſim omnes ſalutem reperiunt. *Ex Surio.*

Quid profuit mortuis inanis gloria, brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas, falſæ divitiæ, magna familia & mala concupiſcentia? Ubi riſus? ubi jocus? ubi jactantia? de tanta lætitia quanta triſtitia? poſt tantam voluptatem quàm gravis miſeria? S. Bern. in Med.

SS. MAURITIUS ET SOC. MM.
21. *Februarij.*

NUnquam tam fortiter pro ſuâ urbe Romanus miles, quàm pro fide Romanâ MAURITIUS cum ſociis depugnavit, Thebææ Legionis Anteſignano ut nomine, ita virtute par, & cum eodem Religionis hoſte Maximiano Apameæ compoſitus, quem prior ille Agauni in Galliâ ſuperavit. Pugnabat tyrannus inpium agmen vinculis, flagris,